Disputatio Inauguralis Medica

De

SCORBUTO,

Quam

Divinâ affulgente Gratiâ,

JUSSU ET AUTHORITATE

Amplißimi & Gratiosißimi Medicorum Ordinis,

qui in illustri Tubingâ est,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo atq; Excellentißimo

DOMINO

GEORG-BALTHASARE METZGERO

Medic. Doct. Practic. Anatom. & Botanic. P. P.

Celeberrimo, Domino Præceptore, Hospite atque Patrono

suo, æternâ animi observantiâ colendo,

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores & Privilegia

Doctoralia legitimè obtinendi,

Publicæ & Solenni Disquisitioni subjicit

LAURENTIUS EFFEREN, Reütlingensis.

IN AULA NOVA,

Die Febr. 1747

Hor. solit.

TUBINGÆ,

... WERLIN,

PATRIÆ PATRES
Laudatissimos,

VIROS NOBILITATE, AMPLITUDINE,
Prudentiâ, longoq́ue rerum usu Clarissimos,
Gravissimos, Spectatissimos,

DN. DN.

CONSULES
ET SENATORES
INCLYTÆ REUTLINGENSIUM
REIPUBLICÆ,

DNN. MECOENATES AC PATRONOS
Suos summo honoris & observantiæ studio
devotè prosequendos,

DISCURSUS HUIUS INAUGURALIS
oblatione ad ulteriorem sui favorem
pariter atque promotionem sub-
missè invitat

LAURENTIUS EFFEREN.

Πηδάλιον.

SCORBUTUS, πολύμορφον illud καὶ ἀλλοπρόσαλλον πάθος, non tàm symptomatum, quâ se tegit, πολυμορφίᾳ, quàm suâ, quâ in omnes corporis partes sævit, tyrannide, meritò sui omnibus metum incutit. Endemius olim solis Germaniæ inferioris & Belgii populis morbus habebatur; Jam dudum verò his limitibus non contentus suæ ditionis pomœria latius extendit, omnesque penè regiones non solùm sibi subjugavit, sed & ignorantiâ & indulgentiâ Medicorum licentiosior jam factus, indies magis magisque serpit, metuendumque nî fraudes ejus subolfaciamus, & debita ei arma in tempore obvertamus, ut ex *Dravvitii de symptom. scorbut.* præsagio præ hujus sævitia omnes civitates, pagi omnes, omnes denique domus in mera nosodochia convertantur. His animatus minis in præsens fallacem φοβερωτάτῳ huic valetudinis nostræ & quasi jurato hosti larvam detrahere, geniumque ejus & ingenium accuratiùs explorare, & quibus denique armis expugnari feliciter, & à corporis nostri finibus quàm longissimè repelli possit, pro viribus indicare mecum constitui. Adsit Sacro-Sanctæ TRIADIS gratia, ut certa & plana ad veritatem pateat via.

THESIS I.

NOMEN SCORBUTUS, Schorbutus, Latini à Belgico **Schoorbuyck** / secundum *Eugalenum*, vel Danico **Schorbeck** / secundum *Wierum*, aut rectius **Skorbug** / secundum *Thom. Bartholinum in Cista*

Medic, imi ventris & hypochondriorum torminibus mutuati sunt; quorum respectu inculti Scriptores scarificationem ventris vocant, referente *Lemnio lib.* 2. *de Complex.* Nostratibus pari de causa Schurbock/ Schurbauch audit. Alia symptomata alia peperêre nomina; ubi dentium in ore vacillat septum, laxæ gingivæ intumescunt, sanguinem sudant, exulcerantur, os mephitim olet, στομακάκη, vel *Strabonis* verbô στομακάκκη, πάθος περὶ τὸ στόμα κατ᾽ ἐξοχὴν, oscedo, oris scorbutus, Schorbeck/ Schormund/Mundfaule/ dicitur; si suum non satis faciunt officium crura, ulcera alia in iis emergunt, alia senescunt, Scelotyrbe authore *Plinio*, ad veterum tamen mentem *Salmasii* judiciô *de ann. Climact.* minùs verè salutatur. Gingipedium, ubi os & crura tenet, nomine pro morbi indole exprimenda perquàm congruo, teste *Crusiô in theatr. Hermet.* crassâ tamen & pingui Minervâ secundum *S. Alberti* inscribitur; sique pari brachia tyrannide aggreditur, gingibrachium μιμητικῶς *Forestus* dixit: puniceis maculis in cute efflorescentibus, Blawschuyt nominant. *Rod. à Fonseca in Consult. Med.* contagii intuitu notam Elephantiasin judicat.

II. An & quibus antiquitati nominibus innotuerit, omnes ferè sollicitos habet. Innotuisse dubitare non ausim; cum causam omni ævo terræque præsentem agnoscat. Interim cùm fortè se vel raró ostenderit, vel pro locorum conditione variâ variè luserit; nomen subindè mutavit, non mores, non indolem; quam vivis coloribus suis vel unus *Hippocrates*, ut alios brevitatis amore taceam, adeò graphicè depinxit sub magnis lienibus, ileo hæmatite, *l. de intern. affect.* 2. *prædict.* ut certô certius sit, divinum hunc præceptorem nostrum longè exactiùs morbi hujus ideam cognovisse, quàm

me-

modernorum Medicorum plurimos. Loquuntur pro hac ſententia *Sennertus de ſcorb. C. Hofmannus* 3. *Inſtit.* & ante hos *Langius l.* 2. *Epiſt. Med.* 14. *Ronſſeus de magn. lie nib. Hipp.* Nec pluribus contra *VVierum* negantem teſtibus opus eſt.

III. Eſt prava & occulta totius ferè corporis omniumque partium diſpoſitio à ſeroſo-ſalinâ ſanguinis cacochymia ſpecifica malignitate infecta, viſcerum primæ & ſecundæ coctionis vitio producta, & cum ſanguine circulante in omnes partes effuſa, orta.

IV. Ob variam quam induit faciem verſipellis Protheus hic, hæſitarunt non pauci, ad quod morborum genus commodè referendus ſit. *L. Lemnius* 1. *d. occult. nat. mir.* ad icteri nigri ſymptomata, 2. *de complex.* ad morboſam ſplenis intemperiem *Ronſſeus l. c.* ad magnitudinis morbos, alii ad alias claſſes revocarunt. Mihi prava & occulta corporis diſpoſitio placet, cùm ſine illis ſæpè notetur Scorbutus, nunquam ſine hac; adeoque occultarum qualitatum, ſeu, ut cum *Fernelio* loquar, totius ſubſtantiæ morbus eſt. Occultam diſpoſitionem & malignitatem à communium morborum malitia forma & ſpecie diverſam agendi modus, ſymptomata & curatio produnt, de quibus mox.

V. Subjectum eſt totum ferè corpus, omnesque ejus partes. Has enim omnes luis hujus tyrannide ſubjugari, quotidianæ ægrorum querelæ, facultatumque omnium offenſæ edocent; principes an minus principes, maximæ, minimæ, medioximæ ſint; Tros Rutilusve fuat, nullo diſcrimine habentur. Originaliter tamen & præcipuè dubio procul accuſandæ veniunt internæ partes, viſcera primæ & ſecundæ coctioni ſacra, quæ malignam hanc diſpoſitionem non modò prom-

promptè recipiunt, sed & originem ei præbent & fomentum. *Cous* ut vel ex solo nomine patet, culpam in lienem rejecit, cui *Ronsseus*, *Reusnerus*, *VVierus*, *Gr. Horstius*, *Benedictus Sylvaticus in Consil. & respons. med. &c.* calculos suos adjiciunt. Hepar præ liene suspectum reddunt, quæ *Forestus* salvô liene in quodam Hollandiæ Præside observavit *l.* 20. *obs.* 11. imò utrumque hoc à culpa viscus absolvere videtur, quod *Sennertus* invenit in Scorbutici cadavere omentum putridum & corruptum *l.* 3. *pract. c.* 2. Pro ventriculi incolumitate stat appetitus in nonnullis satis vegetus. Sed nullum horum viscerum nec aliorum, quæ quocunque modo ad primam vel secundam coctionem faciunt, omni à culpa absolvere ausim, suspecta singula sunt, si non ut causæ primariæ saltèm ut adjuvantes, quod mutuam ferè singula operam conferant, unoque læso alterum alterius læsionem facilè sentit & in consensum trahitur. Nec culpam in aliis deprecatur, quod substantiâ, colore, &c. post obitum integra apparuerint. Occultum morbus noster μίασμα redolet, & ideò occultam partibus corruptionem, nullô etiam ad sensum apparente vitiô, ad exemplum aliorum occultâ vi agentium, inspirare novit. Nec ventriculum appetitus satis subinde validus excusat; eadem enim, quæ hunc auget, causa coctionis impeditæ & depravatæ mater est. Interim præ omnibus & frequentissimè lienem vapulare crediderim, rationes jam circa causæ enodationem indicaturus.

VI. Hanc dixi *seroso-salinam sanguinis cacochymiam specificâ malignitate infectam*. Cacochymiam indicant effectus; vitiosus corporis habitus, coloris vividi in lividum mutatio, lassitudo spontanea, atrophia, nonnun-

nunquam etiam incrementum corporis non naturale, febres tertianæ, quartanæ, ordinatæ, inordinatæ aliæ; feri abundantiam; molestę salivationes, sudores nocturni largi, urinæ tenues & aqueæ, quas propterea ζωλη-νώδεας *Hipp. in coac.* vocavit, crebriora sanguinis tenuioris è naribus, labiis, gingivis, cruribus, nec non cœcis cutis spiraculis variis stillicidia, momentanea humorum symptomatumque transpositio, morbi per urinas, sudores, solutio, quin & non infrequentes Scorbuti in hydropem μεταςάσεις. Sale infectum hoc serum esse, ferè omnia docent. Urinæ præsalsæ, arenulæ rubræ matulæ parietibus adhærescentes, interdum per cutē erumpentes sudores, pruritu salsuginoso comitati, gingivarum erosio, crurum exulceratio, spasmus, dolores lancinantes, & nescio quæ non symptomata alia. Sequior sexus loco menstrui sanguinis alba, salsa, acria excernit; alius per narium hæmorrhagiam, sanguinem linteamina, quibus exceptus fuit, corrodentem emisit teste *Döringio l.* 1. *d. med. & medic.* Sed omnem tamen paginam non absolvit seroso-salina sanguinis cacochymia, cùm non omnes hac infecti Scorbutici sint, sed ut specifica insuper hujus corruptio & malignitas accedat, oportet. Unde addo *specifica malignitate infecta.* Specificam hanc κακοήθειαν detegunt symptomata communem morem modumque excedentia, quibus affectus hic sine pari luxuriat, contagii ratio τὸ θεῖον redolens, pulsus ea nonnunquam malignitas, ut secundum *Eugalenum* Italo Medico mirum videri possit, hominem cum hoc superesse posse, nec non ipsa denique curatio.

VII. Unde hæc cacochymica colluvies scaturiat, dictu non adeò difficile est. Serum è liquidioribus as-

sum-

sumptorum partibus naturæ in nobis lege generatur, quô non minus quam ſanguine ipsô carere poſſumus, beneficiaque corpori egregia præſtat, de quibus videſis *Rolfinccium diſſert. Anat. l. 5. c. 25. I. Theod. Schenckium de hiſtor. ſeri ſang.* Inprimis autem chylum vehit & ſanguinem, ut per vaſorum, ille quidem lacteorum, hic ſanguiducorum & præcipuè capillarium anguſtias inoffenſo quaſi pede tranſire, partiumque fibras penetrare poſſit, quô reſpectu jam olim *Hippocrati de aliment.* ὄχημα τῆς τροφῆς habitum fuit. Pariter nec ſalium in nobis ortus obſcurus eſt. Terram & aquam, quibus plantæ, & his bruta & homines, nutriuntur, variis ſalium, generibus & excrementitiis impuritatibus partìm terreſtribus & craſſioribus, partìm ſpirituoſis & volatilibus ſcatere, res ipſa probat, eademque cum cibo & potu in corpus noſtrum duci vel unius urinæ & ſanguinis anatome comprobat. Hæc ſive quantitate ſive qualitate moleſta, ſi non ſtatim ſuo ſingula loco & tempore ab alimentari maſſa ſequeſtrentur, & ad conſueta naturæ emunctoria deportentur, chylum & ſanguinem conſpurcant, & non raro indelebilem utrique maculam inurunt.

VIII. Serum quidem ſuo jam defunctum munere quaſi de naturæ providentiâ ſuperfluam hanc & excrementitiam in ſanguine ſalſedinem pro viribus imbibit, ſecumque in ſanitatis vindicationem per varia corporis emiſſaria educit: quod ſi tamen oneri ſuccumbit, & nec ſibi nec ſordib9 his everrendis quodcunque ob impedimentum ſufficit, impuritate ſuâ omnem, quocum it, ſanguinem collutulat, & quem in motu ſuo ſ. n. juvare debuit, pigriorem, non raro etiam præter fas volatilem reddit; præſertim verò ſpecificâ κακοηθείᾳ

ſcor-

ſcorbuticâ pollutum virus ſuum omnibus partibus inſpirat, malignitatisque veſtigia ubique relinquit. corruptô viſcerum fermentô coctiones turbat depravatque, cachexiam toti corpori inducit, gingivarum pruritus, eroſio, cruentatio, exulceratio, oris fœtor, nec non dentium vacillatio & caſus, ubi ſubtilior cacochymiæ pars ἀνάῤῥοπος fit, crurum infirmitas, gravativus dolor, tumor, ulcera, &c. ſi craſſior καταῤῥοπος fit: unô verbô, ſcorbutus, ſequuntur. Porrò ubi virulentum hoc lixivium intra meſenterii & inteſtinorum tunicas effunditur, ſimiles colicis cruciatus excitat, ſi cor afficit, palpitationem, lipothymiam, pulſus inæquales & tantum non abolitos inducit, in nervis ſpaſmum, in articulis arthritidem, in muſculis paralyſin, in renibus nephritidem, in aliis partibus varia alia pro variâ ſalium humorumque commiſtorum conditione ſymptomata mentitur, vixque morbus eſt aut ſymptoma, quibus cum infauſto ſe conjugio non ſociet, cujusque ſub umbrâ non deliteſcat aut fallat.

IX. Ad collectionem autem ſordium harum dubio procul lien, ſi non ſemper, frequentiſſimè tamen omnem, quam poteſt, operam ſuam locat, non quidem ſalinarum & tartarearum ſcoriarum, vel ſi mavis, melancholiæ attractionem negligendo, quod olim lieni officium, inſciâ naturâ, *Galenus* affinxit; vel virtutem ſanguificam (idolum hujus ætatis inſigne ſecundum *N. Highmorum de affect. hypoch. c.* 4.) ſegniter exercendo: hanc enim cordi refero; multò minus ſeparationem vehiculi ſucci alibilis per nervos deferendi ſusque deque habendo, ad quod *Gliſſonii de anat. hep.* juditiô aliàs tenetur lien, nec enim talis per nervos ſuccus it, nec ſi iret, hoc à liene vehiculum emendicare neceſſe ha-

ber, consule *Th. Bartholinum Spicil.* 1. *d. vas. lymph. c.* 3. *Deusingium de nutrit. succi per nerv. influent. commento.* sed peculiarem quam à liene desiderant sylvestria salia & excrementa, dispositionem & immutationem denegando. Scilicet coctus in corde è chylo sanguis adhuc heterogeneis scoriis & retrimentis variis inquinatus est, in diversis à natura emunctoriis, quò sanguinis circulantis ope deferuntur, sequestrandis: quod ut felicius succedat, peculiarem eidem digestionem & immutationem lien debet, novoque quasi fermento, ut lac coagulo, addito, disponit, ut ad sua singula loca & emissaria statô tempore abeant, sanguisque in desideratum partium nutricatum aptior evadat. Hoc suo si lien deest officio, nec est aut esse potest aliud, quod vicariam eidem operam locat viscus, retrimenta illa, quæ non nisi lienis virtute domita aliorum viscerum monita audiunt, alimentari relicta massæ totius corporis œconomiam turbant, lienisque culpam omnes partes luere coguntur, ut quod olim de utero *Hippocrates*, verissime de liene conqueri possis, sexcentarum ærumnárum authorem esse.

X. Non tamen omnem hôc ipsô bilem in solum lienem evomendam esse dixerim. Quod si enim ventriculus & hujus satellites sylvestria salia & crudos in cibo partes vel propriô vel alimentorum vitiô non satis domant, si fœcum ab alimentari succo separationem intestina non debitè juvant, sed cum chylo in lactea vasa transfundunt, si crudum cor sanguinem cudit, si elevatos in corde sylvestres vapores pulmo non decenter expuit, si hepar in biliosi, renes in aquosi seri, pancreas in humiditatis nitrosæ depuratione pigriora sint, nec cæteræ, quod debent partes sanguini offi-

cium,

cium, debitè exequuntur, tantum abest, ut lien vel optimè valens hujus vel illius visceris errores corrigere, aut officii sui diligentiâ compensare valeat, ut illorum potius culpâ vapulet, intemperies, obstructionem, &c. alienâ negligentiâ contrahat, malumque malo cumulet. Communiter ventriculum in eô redarguunt, quod salia fixa & copiosè cum cibis ingesta non satis attenuet aut exaltet, unde ob denegatam πνευμάτωσιν vel in primis statim viis subsistunt, obstructionum causæ, vel cum chylo permista inquinamentum sanguini afferunt, vide *Senn. d. scorb. c. 2.* Sed ut tartareas has terrestresque fœces in scorbuticis nemo nisi qui oculis fidem denegat, negare potest; crassiores enim & fæculentæ, nonnunquam quasi sepiâ tinctæ urinæ, quibus emissis non rarò meliusculè habent ægri, pro his satis loquuntur: ita subindè volatile sal subesse, inficiari non potest, qui effectus & symptomata scorbuticorum diligentiùs expendit; momentanea humoris dolorisque vellicantis, urentis, &c. ab una parte in aliam transpositio, tuberculorum subitò natorum subitanea reductio, aliaque non fixam & terrestrem sed subtilem volatilem causam sapiunt, multaque dubio procul scorbutica symptomata alia oriuntur, non quod crassum sal in ventriculo non attenuetur, sed quod nimis attenuetur, nimis penetrans evadat, ut sanguini citius cum chylo permisceatur, quàm cum excrementis per alvum secedat. Salis hujus volatilis vestigia qui ex jam dictis non satis videt, spagyricam sanguinis scorbutici anatomen consulat, taleque abundantissimè in sanguine etiam apparenter puro latere deprehendet.

XI. Imbibunt viſcera hoc quaſi contagium, nonnunquam à primo ortu, dum à parentibus in liberos cum ſemine & lacte uterino traducitur, partibusque inſtillatur, quod, ut fracidum dolium vino & infuſis quibusvis ſaporem ſuum, ſuam omni cibo & potui labem communicat. Et hanc cauſam potiſſimum ſuſpectam habet *I. Dravvitius in præfat. l. de ſcorb. ſymptom.* quam propter tantas hodiè vires ubique ſumat Scobutus, ſuæ tyrannidis pomœria indies magis magisq; extendat. Hoc modo ſalvô filiô in nepotibus demùm recruduiſſe virus, teſtatur *Reuſnerus exercit. 5. de Scorbut.* Non minus extra uterum meticuloſum eſt contagium hoc, quod ſæpè ſolum citra præcedens viſcerum vitium ad ſcorbutum inducendum ſufficit ſecundum *Sal. Albert. de Scorb.* integrasq; eodem *Reuſnero* teſte familias inficit. Furtivo velut pede ſubit corpus contagium hoc, nec niſi firmis poſitis radicibus ſuis ſe indiciis prodit, unde negligitur & liberè in internecionem noſtram occulta ſua ſemina hinc inde largiter diſſeminat, ut iterum conqueritur *I. Dravvitius l. c. tit. 2.* Sugunt hoc nutricum cum lacte infantes, lambunt cum præmanſis ex parentum ore cibis, præſertim ſi horum in ore vitium ſedet, alii per oſcula, convictum, concubitum aut acceſſum quemcunque fomitem cum halitu, ſaliva, ſudore hauriunt. Ab halitibus & fœtore cadaverum ſcorbuto extinctorum malum prognatum fuiſſe, notavit *Sennertus c. 1. & 4. de ſcorbut.* modum explico verbis *C. Hofmanni de feb. c. 57.* ſtatim à morte extinctô calidô in corpore nihil periculi eſt, ſed poſtquàm putredo cadaveris invaleſcere cœpit;

—— procul ô procul eſſe ſodales.

XII. Præter jam dictas causas quid subsidii in malo hoc ovo excludendo res non naturales dictæ conferant, nunc videndum. *Hippocrates* omnes morbos à solo aëre oriri existimat *libr. de flatib.* Profectò si aër alibi, præprimis in præsenti casu vires suas strenuè exercet, sive ore, naribus aut corporis porositatibus imbibatur, sive cum cibo aut potu deglutiatur, si salsis, putridis aliisque è mari, piscinis, alga putrida, lacubus, plateis immundis surgentibus halitibus infectus est, non potest non scabiem suam sanguini affricare eumque in contagii consortium trahere, occultoque veneno suo corrumpere, unde ferè olim Endemium fuit malum hoc locis mari vicinis, vliginosis & lacubus circùmdatis, non æquè aridis, *Stegkius l. 4. med. pract. c.13.* Hollandis ideò infensas esse splenitides *Ronsseus de magn. lienib.* scribit: Alcmariam etiam Amstelodamum & loca his vicina inhabitantes multò periculosiùs & frequentiùs scelotyrbe affici, quàm Gaudam aut Roterodamum, utut communi victu utantur, hisque rariùs *Dordrechtum epist. med.* 1. memorat. Idem *Gr. Horstius* in veteri Marchia Brandenburgensi observavit. Frigidus & humidus aër humores in corpore densat, inque motu pigriores reddit, debilitato calore coctiones lædit, nec non supervacaneorum expulsionem cohibet; quo nomine plurimi ex *Olao Magno l. 16. hist. septentr.* intra tabulata morbum mitescere, sub frigida verò & humida murorum exhalatione foveri docent, eademque de causa complures in udos detrusi carceres accedente pravo victu & motus privatione scorbutici evasêre: fortè tamen rectius quicquid hic fit, non tàm frigiditati & humiditati aëris, quàm nitrosis & salsis exhalationibus, quibus austrinâ tempe-

state

ſtate madeſcunt muri cum *Conringio diſput. de ſcorbut.* imputamus.

XIII. De cibo & potu multa verba facere opus non eſt; Si enim ſecundum *Fienum Phyſograph. c.* 2. omni alimento quantumvis feliciter in ventriculo concocto genuina perpetuò inſitaque natura mordicùs retinetur, ſi lactuca aliaque frigida licet coctione vincantur, ſuperenturque, ventriculum tamen & corpus reliquum refrigerenr, ſi vinum aut allium calefaciunt, quid miri, ſi carnes, piſces, ſalita fumoque indurata & optimô ſuccô exuta alia, lardum mucidum, butyrum rancidum, panis ex corrupto & mucido frumento paratus, ſemiputrida & terreſtribus tartareis ſalinisque partibus fixis & volatilibus turgentia omnia idem in ſanguinem jus proque indole ſua eum alterandi vim habent. Quod idem de potu judicium eſt. Aquam vitioſam magnos generare lienes jam dudum *Cous de aëre aq. & locis* indicavit. *Luſitani* qui primi Indiam Orientalem ſalutarunt, eam à potu fluentis aquæ gingivarum intumeſcentiam experti ſunt, ut his continendis vix os ſufficeret; ſecundum *Rod. à Fonſeca Conſultat. med.* 2. *tom.* 1. ſimile quid Cæſaris Germanici exercitui in tractu Rhenenſi contigiſſe, refert *Plinius lib.* 25 *nat. hiſt.* 3. Hujus cenſus ſunt aquæ verminoſæ, ſubſalſæ, nitroſæ, (quo nomine pluviales & nivoſæ malè audiunt) lacuſtres, fœculentæque aliæ, quæ nec coctione nec fermentatione nocuam omnem vim exuere poſſunt. Infamis etiam meritò eſt cerevíſia, quæ ex his coquitur, (in ſpecie quidem Lugdunenſium Batavorum *M. Schoockio* cenſore *de cereviſ. c.* 24.) aliaq; ex vitioſo frumento nec ſatis cocta nec lupulo ſufficienter condita fæcibusque referta. Vinum crudum, auſterum, pendulum,

aut

aut in vappam jam degenerans causarum numerum auget; Exercitia vel planè omissa vel intempestivo suscepta tempore malum strenuè juvant, hæc cruditates creando, illa coacervando quicquid colluviei scorbuticæ sive cum alimento sive cum aëre apportatum fuit, unde fœminæ præ viris, urbani præ rusticis, qui continuis, quibus fatigantur laboribus pravos in corpore congestos humores expellere facilè norunt, magis lue hâc affligi, experientiâ constat. Alvi, lotii, sudoris, hæmorrhoidum, menstruorum evacuationes præter debitum suppressæ suum pariter symbolum conferunt, ut scorbutum ex mensium suppressione ortum *Eugalenus obs.* 1. describit. Nec animi motus, cum cor & sanguinem variè afficiant & commoveant, asymboli accedunt. *C. Hoffmannus l.* 1. *de loc. aff. c.* 36. hoc φαινομένῳ rem declarat: Aqua bis terve calefacta iterumque refrigerata & manifestè turbida & putida est: idem sanguini in animi affectibus accidit. Inprimis verò mœror & tristitia efficacissima sunt, de quibus *Eugalenus de scorb. p.* 3. *& obs* 15. quos cum crassiori victus ratione diuturnior exercuit mœstitia, de his ægrotantibus constanter & semper prædicere ausus fui, eos à scorbuto morbo vel solo vel aliis permisto teneri: causam suggerit *Sennert. de cons. & diss. chym. cum Gal. & Arist. c.* 14. Sub curis & mœstitia non rectè coqui cibos, sed corrumpi, cruditatesq; & vitiosos humores cumulari: scil. cordis vires & motus, & cum his sanguinis in partes influxus imminuuntur. Res p. n. febres quartanæ præsertim, nec non tertianæ diuturnæ, affectus hypochondriacus & alia non raro scorbuto focum accendunt, sive viscera quocunq; modo debilitando, sive expultricem, ne vitiosam colluviem expellere valeat, fatigando.

Tan-

Tantum de causis, unde quis, qualis, quantus sit affe-ctus noster, colligere cuivis facilè est.

XIV. Quà signa, cognitu quidem morbus hic haud difficilis est; ubi jam auctus suis quasi satellitibus, signis pathognomonicis, stipatus incedit. Sed primordia ejus subolfacere, non nisi nasuti & peritissimi artificis est, cùm omnium ferè morborum formam faciemque, ut fallat, induat, sæpeque ægrum jugulet, antequàm manifesta sui indicia faciat. Eò accuratiori itaque scrutinio opus est, cùm tantum unusquisque Medicorum in curando valeat, quantum in cognoscendo. Nimirum ubi scorbuti delitescentis suspicio incidit, præsentibus spontaneâ corporis lassitudine, respiratione sub motu difficili, insueto corporis incremento cum colore faciei livido, aliisque cachexiæ & hypochondriaco malo indiciis communibus, inquirat Medicus, an æger aliquando aërem, victum, lectum aliaq; cum scorbutico communia habuerit, an parentibus hâc lue infectis natus sit, an quartanâ, tertianâ diuturniori laborârit, an symptomata à consuetis alia sentiat, an ordinariis malum remediis resistat, an ingravescat singulis binis vel ternis diebus, an de nocte; an mœrori aut melancholiæ indulgeat, inspiciat urinas, quas à principio ferè aquosas & pallidas tartareis & salinis scoriis in sanguine restagnantibus; mox crassiores, lixiviosas deprehendet, auctis & commotis in corpore humoribus, cum rubro non raro sedimento farinæ laterum æmulo, nec non arenulis rubris matulæ parietibus certatim adhærescentibus. Examinet pulsum, qui inæqualis, debilis, interdum vermiculans esse solet, quasi mortis jam instantis prænuncius, corde à vitiosa colluvie cum sanguine refluo adducta, oppressô.

XV. Augescente morbo etiam symptomata vires majores sumunt, jamq; malum ferè propriis suis, ut sorex, indiciis se prodit: pruriunt gingivæ, intumescunt, sanguinem ad tactum sudant, putrescunt; vacillant dentes, & nonnunquam sine dolore suis excidunt alveolis; fœtidus ab ore spiritus exit, tument pedes rigentque nec suum jam amplius officium faciunt, dolores exurgunt ὀστεοκόποι, ossifragi, cum manifesto ad articulorum inflexiones sonitu; nonnullis in cruribus & universo sæpè corpore maculæ rubræ, purpureæ, cœruleæ, quasi à strigibus inductæ apparent; de causis jam supra. Tandem ventris tormina colicis similia accidunt, alvi interdum fluxus etiam sanguinolenti, interdum pertinax obstructio sequitur, præ atrophia vix cutis ossibus hæret, dolores cutambuli, vagi, à salino lixivio hinc inde effuso totum corpus exercent, aliaque innumera, de quibus prolixissimus est *Eugalenus de scorb.* Breviter; nulla corporis pars est, quæ immunitatem sibi ab hostilibus insultibus promittere valeat; alia tamen in aliis, nec in uno individuo omnia occurrunt, pro humoris temporis, loci, morborum, quibus se jungit, aliarumque circumstantiarum ratione jam plura & graviora, jam pauciora & mitiora.

XVI. De eventu ex dictis judicium liquidò patet, in genere cum morbis melancholicis chronicus affectus est, nec subitò ægrum invadit, nec subitò deserit, nisi malignitate auctâ & ad summum exaltata gradum subitaneam spiritibus vitalibus ruinam inferat; in specie verò hæreditarius si est, ferè ἀνίατος est, sique vel maximè victas aliquandò manus dare videtur, levi tamen de causa recrudescit & ægrum ad mortem comitatur: ægrè pariter evellitur, qui altas jam radices egit, viamque sensim ad hydropem, atro-

phiam, paralysin, convulsiones, carum, apoplexiam, lethalia mala sternit, præsertim si in morbo propulsando Medicus & æger concordes non sint, sed alteruter à pugna se subduxerit, aut hosti suppetias tulerit, actum & conclamatum est: at unitis viribꝰ si pugnant & Medicus & æger, sæpè nè Herculeus quidem morbꝰ contra duos, ut elegantissimè loquitur *Gu. Rolfinccius Comm in* 1. *Aph.* 1. *c.* 13. Si incipiens, curatu facilior est, lento tamen & testudineo gradu ad salutem tendit, discusso fomite per vomitum, alvum, mensium, hæmorrhoidum fluxum, de quibus jam in *Curatione.*

XVII. Hæc itaque ubi locum habet, ante omnia causæ internæ & externæ, quæ scorbuticam cacochymiam in corpore colligunt, removendæ sunt, cacochymia jam collecta educenda; dispositio maligna visceribus, totique corpori impressa, suis corrigenda antidotis, symptomata si urgeant, inhibenda, visceraque quocunque modo labefactata, pristino & nativo vigori restituenda. Auxilia suppeditant Diæta, Chirurgia, Pharmacia. Quà *diætam*; aëris noxæ superiùs notatæ quàm maximè vitandæ veniunt, sique alio non licet modo, corrigantur accenso foco ex ligno laurin. juniper. quern. rorismar. gran. mastich. thur. succin. aliisque suffumigiis. Cibis quàm fieri potest, recentibus, boni succi & facilis coctionis inhærendum; qui thym. majoran. roremar. salv. petrol. cort. citr. aurant. panis cœtera optimus seminibus fœnicul. anis. cumin. condiantur. Embammata ex raph. rust. sinap. acetaria ex cochlear. nasturt. acetos. capp. nec non lupuli summitatibus commendantur. In vino, cerevisia, lacte, sero, quô Batavi & Frisii rustici à patrio se munire dicuntur scorbuto, suspendi possunt verno potissimùm tempore

cochlear. nasturt. fumar. ling. cervin. rad. helen. &c. absynth. ex commendatione *Eugaleni*. Moderata exercitia, quæ vitiosis humoribus dispellendis sufficiunt & tempestiva quærenda, somnusque nocturnus sit, nia lia prohibeant, nec statim post cibos ineundus: exulent omnes motus vehementiores, præsertim mœror & tristitia. Alvi adstrictio, quæ ferè solennis hîc est, & forte rectius ab intestinorum quasi convulsione quàm ulla alia causa petitur, emolliendâ & reseranda. Purgationes vere & autumno ordinariæ sint; sudoribus, qui assueti sunt, remoram non ponant, nî viribus insidientur. Nonnunquam aquæ dulcis insessibus uti consultum est, ut cutis strigmenta abluantur, corporisque transpiratio libera sit: nec abs re est, nonnunquam unum vel alterum cochl. aquæ scorb. Mynf. Dorncreilii, &c. deglutire, addito saporis, si placet, gratiâ syr. de acetos. citr. de rub. Idæo & aliis

XVIII. Quod sic tamen hæc morbo expugnando non satis sint, ut ferè fit, ubi μίασμα temporis diuturnitate in corpore radicatum est, ad alia auxilia eundum. Et quidem *Chirurgia* sanguinis missionem offert, quæ suis restricta limitibus non raro spem curationis magnam facit, ubi scil. plethora urget aut sanguis præter solitum suppressus, si recens malum est, viresque consentiunt eccoprotico vel leniente ex fol. sen. mann. crystall. Tartar. pil. Francof. Diæt. Haug. aliisque vel etiam clysteribus lenientibus præmissis, parcè tamen, cum morbus cacochymicus sit, nec magnam ferat venæsectionem, experientiâ ipsâ teste, per ἀπόχρασιν & in variis partibus, ut ubique cum minori virium jacturâ peccanti materiæ via monstretur, simulque nimia sylvestrium salium ferocia & ebullitio

 repri

reprimatur. Quâ delectum venarum, salvatella magnifit apud *Forestum l.* 20. *obs.* 11. & alios, rationesque pro hac finxit *Adr. Spigelius l.* 5. *human. corp. fabr.* 7. Mihi potius arrident, quæ contra afferunt *Sennert. l.* 3. *de febb. c.* 20. *In paralip. in Instit. c.* 24. *Rolfinccius. dissert. Anat. l.* 5 *c.* 39. Fieri potest vulneratio venæ cujuscunque sive in brachio, sive in pede, quæ evidentior est; si tamen à mensium suppressione foveatur malum, humorumque crassities peccat, proculdubio plus utilitatis cruralium venarum sectio, quàm brachii, quòd in pedes suâpte sponte materia declinat, promittit. Raninæ aperiri possunt, ubi gingivæ affliguntur. Hæmorrhoides tamen sive naturâ sive arte referentur, communiter omni phlebotomiæ præferunt, quod melancholicam lienis sarcinam commodissimè ejiciant, 6. *Aph.* 11. *&* 21. Sed quàm incertum asserto suo fulcrum supponant, explicant *B. Svvalve disq. therap. gener. s.* 6. *I. VValæus meth. med. de hæmorrh.* ichorosæ in sanguine sentinæ exhauriendæ etiam fonticuli conveniunt.

XVIIII. Denique nec Chirurgicis præsidiis sufficientibus pharmacia in subsidium veniat, quæ purgantia subministrat humores sive per inferiora sive superiora ducentia, quorum pro humorum vergentia jam hæc jam illa eligi possunt, præmissâ tamen per aliquot dies humorum corporisque præparatione debitâ per digerentia, incidentia, attenuantia, acredinem edulcorantia, aperientia, nimiam volatilitatem figentia. Materia ubique nota est; præstant Croc. ♂ aperitiv. fœcul. aron. crem. & cryståll. Tartar. tinctur. ♂ aperit. tinctur. tartar. sal tartar. tartar. vitriolat. nitr. vitriolat. Mynf. quibus tamen cautione illâ opus esse quàm maximè censeo, quam *Sennertus lib.* 3. *prax. p.* 3. *c.* 4. ut &

in

in Paralip ad Instit. eliquit. Præparantib9 his & aliis specifica & appropriata antiscorbutica semper associanda sunt: quod idem dictum esto de purgantibus, quæ moderata sint, præsertim circa initium, nè exasperent & ferociores humores reddant. Facessere ergò debent antimoniata ob actionis vehementiam diabolica *Fallopio* dicta, scammoniata, Mercurialia, quorum ferè morbus noster impatiens est: eligantur contrà leniora ex fol. sen. radic. polypod. Ialapp. mechoac. rhabarb. Agaric. helleb. nigr. pil. de ammoniac. tartar. d. fumar. panchymag. Croll. extr. diacarth. per quæ & similia pravorum humorum colluvies, siquidem unâ vice exhauriri non potest, per ἐπίκρασιν interpositis semper præparantibus, evacuanda. Vomitoria si usum inveniunt itidem moderata sint, convenit manna vomitoriorum, sal vitriol. s. gill. Theophr. nonnunquam sola aqua tepida hord. decoct. raphan. syr. acetos. sufficiunt. *Mynsicht* extollit croc. suum metall. absynth.

XX. Post hæc ad sudorifera & diuretica pergendum, & quidem præ aliis specifica eligenda, quæ peculiari vi qualitates salis in corpore corrupti emendant, id ipsum per vias convenientes, vesicã puta, porositates corporis alias sensibiliter vel insensibiliter expellunt, simulq; pravam partibus & sanguini impressam dispositionem delent; quibus sæpè solis, ubi non tàm viscerum obstructio, quàm occulta sanguinis infectio adest, μίασμα feliciùs & tutiùs quàm vel purgatione vel venæsectione extirpatur. Inter sudorifera excellunt Bezoart. min. ♃. ♂. antimon. diaphoret. acet. diaphor. spirit. cochlear. tartar. C. C. mistur. simpl. vitriolat. sal absynth. fumar. Decoct. lign. sanct. sassafr. sarsaparill. c. antiscorbuticis efficacissimum est, & si ner-

nervosas aut fibrosas musculorum partes tenet malum, potio Campensis Medici cum lunbric. terr. apud *Forestum & Gr. Horstium epist. Medic. 32. de arthritid. vagâ* descripta palmam facile omnibus præripit. Pauperes cochlear. & nasturt. aquat. manipulos aliquot in sero lactis coquant & expressi haustum manè & vesperi sumant pro sudoris provocatione. Dureticorum materia nemini non cognita est, hæcq; multum ad curationem contribuere posse, vel inde patet, quod seroso-salina hæc colluvies promptè ad renes vegat. Gaudent hac diuretica vi ferè antiscorbutica omnia, quæ ideò locum etiam præ aliis merentur, unde his munere suo probè functis, urina quæ ante clara post turbida redditur. Hoc in loco non ingloriæ dimittendæ sunt acidulæ Spadanæ apud *Henric. ab Heer n Spadacr.* Swalbacenses apud *Lud. ab Hornigk. de acid. Svvalbac.* Griesbachianæ apud *Sebiz. de acid.* & quæ inter primas meritò ponendæ erant, Deinacenses nostræ, quæ sal scorbuticum fideliter imbibunt & secum per omnes excretionum vias feliciter educunt, nec non amicâ adstrictione viscera corroborant. An pariter acida alia conveniant non eadem omnium sententia est. Missis controversis, locum illis non denegaverim, ubi μίασμα scorbuticum in sale nimis volatili hæret, quod frenis & fixatione opus habet: ut enim nimis volatilia extra corpus nostrum acidorum admistione facilè coërcentur, ut fugitivos mores exuant; ita idem dubio procul sanguis noster ob similium commistionem in corpore experitur. Nautæ Hollandi hanc ob caussam pomorum citriorum & aurantiorum usum sibi commendatissimum habent *Ronsseô* & experientiâ testibus; aliis acetum squilliticum profuit apud *Dravvi-*

tium

rum tract. t. Alexipharmaca quidem antiſcorbutica, inter quæ famoſiſſima ſunt cochlear. naſturt. aq. Beccabung. ſinapi, raphan. ruſtic. chelidon. minus, nummularia omnium de conſenſu vires ſuas exerere credúntur, quod ſale volatili cruda & fixa attenuent ſecumque exaltent, quod etiam in vulgus notum. At nè alios nunc nodos nectam, cur quæſo, ſtante hac hypotheſi, cochlearia reliquorum antiſcorbuticorum facilè princeps & volatili ſale præ omnibus abundans ſæpè aliis non volatilibus in viribus cedit & præſertim calidioribus bilioſis naturis plus incommodi quàm commodi affert? Mihi ita videtur, ut τὸ θεῖον & occultum virus in ſcorbutico ſanguine agnoſcere omnes neceſſe habent, ita etiam occulta vis alexipharmacorum, quâ agunt, admittenda eſt: hæc autem ἄῤῥητος qualitas utut omnibus antiſcorbuticis concredita ſit, omnia tamen non æquè & pari in omnibus individuis felicitate operari norunt, propter adſtantes alias qualitates manifeſtas, quarum modò hoc modò illud individuum impatiens eſt, quod idem circa purgantia quotidiè uſu venire videmus, quibus omnibus vis purgatrix quidem communis eſt, ob aliam atque aliam tamen comitem & noxiam qualitatem hoc illi, illud alii humori, non omnia omnibus expurgandis indiſtinctim conveniunt; de quibus aliàs; Nunc filum abrumpo. Quæ viſcerum ſingulorum ſaluti aut ſymptomatum, ſi quæ urgent, mitigationi deſtinata ſunt, magnô agmine à Practicis adducuntur, qui de his conſulendi.

DEO Ter-Glorioſo, ſummo illi corporis & animæ Medico, ſit Laus, Honor, Gloria, & gratiarum actio in æternum!

Ad-

ADDITAMENTA.

I.

In παραλύσει seu veriùs παρέσει scorbuticâ, qui simpliciter ad nervos horumque principium curationem dirigit, veram nescire videtur symptomatis hujus radicem.

II.

Ad corvos cum Fuchsio in Instit. abire jubemus impostores illos & οὐρεπόπας, qui ob sordidum quæstum ex solius urinæ inspectione infallibile de quocunque morbo judicium vanissimè sibi arrogant.

III.

Opiata medicamenta in plurimis gravissimis morbis dextrè adhibita manus DEI sunt: secùs non rarò evadunt culter in manu furiosi.

IV.

Quàm vetusta est illa de electivè purgantibus doctrina, tàm vana videtur.

V.

Pro fonte lachrymarum, salvâ magnorum virorum authoritate, non cerebrum, non oculos agnosco, adeoque lachrymas cerebri excrementa esse vix ac nè vix quidem largior.

VI.

Nec ἀποφλεγματίζοντα, masticatoria, ptarmica, sternutatoria medicamenta è cerebro hauriunt, quæ evacuant.

VII.

Hepar citra meritum suum in Gutta rosaceâ hactenus malè audiit.

VIII.

Λιθιάζεως seu petrificationis microcosmicæ causa efficiens proxima non calor est non frigus, sed Spiritus seminalis petrificus internus.

FINIS.